DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA DE MENINGITIDE QUAM...

Demetrius Demetter



DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
MENINGITIDE

QUAM

PUBLICAE DISQUISITIONI

SUBMITTIT

DEMETRIUS DEMETER

CROATA ZAGRABIENSIS



PATAVII

TYPIS CARTALLIER

MDCCCXXXVI



Qui vero ea, quae ab aliis sunt inventa inhonestorum verborum artificio contaminare contendit neque quidquam corrigit, sed a peritis inventa apud imperitos traducit, is sane prudentiae existimationem tueri velle non videtur, sed potius naturam suam aut ignorationem malitiose prodere. Solis enim artium ignaris hoc opus competit, qui ambitiosius quidem contendunt, neque tamen improbitate sua ullo modo praestare possunt, ut aliorum opera vel recta calumnientur, vel non recta reprehendant.

Hippocrates de arte.

MANIBUS

PIE DEFUNCTI PATRIS

IN AETERNAE GRATITUDINIS

MONUMENTUM

HAS CONSECRAT PAGELLAS

AUCTOR.



PRÆFACTIO

Inter morborum casus, quos tractare cuilibet medicinae practicae studioso suprema imponit lex, anno praeterito in Clinica medica Patavina curae meae commissos, casus quoque, summa attentione dignus, inflammationis membranarum Cerebri occurrit; tam hujus periculo pleni morbi laetissimus exitus, quam summam doctrinam spirantis nostri expertissimi vastissimaque scientia ornati admodum colendi Domini Professoris Lippich, in Quem semper, qua nos in arduae medendi artis mysteria introducere conabatur, solicitudinis assiduae haud immemor, gratissimo ducar animo, ad aegri lectulum observationes, ad per-

scrutanda, quae de hoc objecto tractant, opera mentem meam incitarunt.

Hoc fine scripta haud pauca medicorum praecipue nationis Gallicae, quae laboribus pretiosis circa praedictam materiam prae caeteris gloriatur, attento pervolvi animo. Sed intravi Labyrinthum inextricabilem, ex quo exitum vix tetigissem, si clararum monitionum, quas fortunatus toties ex ore pauco ante cum merita laude nominati viri in suis praelectionibus audiendi occasionem habui, memor non fuissem.

Divergentes auctorum opiniones, quae in objecto tam subtili, et paucis tantum abhinc rite tractato annis, neminem, quem cursus detectionum scientificarum non latet, miratione implebunt, secundum nostrae scientiae sanissima principia, quantum meae tenuissimae vires concesserunt, adaequate et systematice ordinare conabar.

Non ignoro, hunc meum laborem valde imperfectum esse; nam votis vires non re-

sponderunt; nihilominus tamen, Professores doctissimi, Vestram paternam indulgentiam, quae verae sapientiae atque eruditionis est proprietas principalis, cognoscens, hoc laeve opusculum pro adipiscenda in medicina Laurea exaratum, Vestro profundo criterio devotissime proponere audeo. Qui, uti Vos, viri clarissimi, scientiae nostrae scopulis syrtisque plenum noscit pelagum, nunquam a tyrone completam artis peritiam, et dexteritatem, quae protractis tantum studiis et experientia multorum annorum conquiruntur, expostulabit.

INTRODUCTIO

Strictior determinatio sedis morborum ad nberrimos spectat arduorum conaminum aevi nostri medicorum fructus. Vix hodiarna die sufficit, ut morbi natura tantum medico pateat; sed quo in puncto ejus fomes, et e quo per organismum dissipatur, centrum stricte definire quoque interest, quoniam quotidiana edocti sumus experientia, omnique die de hac veritate certiores redimur, quibus therapia circumdata est, tenebras fugandi hoc unicum existere medium, et claudicanti scientiae fulcrum praebere, quo destituta vix unquam desideratam par esset attingere metam. Faventibus circumstantiis, Pharmacologia ad eum pervecta perfectionis gradum, ut praeter, quos medicamenta in corpus humanum introducta provocant, effectuum notionem alacriorem, medico illam quoque cognitionem, qua imbutus mentem ejus proprius, quo pharmaca praedita sunt, in diversas organismi partes earumque involucra agendi nisus, amplius non fugiet, supeditandi in statu fuerit, tunc solummodo a sedis

morbi stricta definitione, ut vitae deleatur inimicus, dependebit.

Haec pauca, ad demonstrandum strictam subtilem atque usque ad imum perscrutantem fundum artem diagnosticam nullatenus, uti eam multis egrege empiricorum nominare non displicet superfluum luxum scientificum, sed, etiamsi hodierno tempore propter, in quo pharmacologia adhuc versatur, culturae gradum infimum non tam magnae, in multis tamen casibus nullatenus spernandae, pro futuris autem temporibus, quae majorem, uti sperandum est, super scientias spargent lucem, summae esse practicae dignitatis, sufficiunt.

Contra indigna et revera barbara illa multorum practicorum, omne inventum et quancunque detectionem, quae illis displicent, in germine annihilandi, et quod me Hercle lugubre est, nonnullorum quoque virorum, qui scientia, ingenio, nec non publicis, quibus fruuntur, officiis et honoribus convocati sunt, ut quibus obfuscatur scientiae nostrae coelum, nubes dissipent, aut ex laeso amore proprio aut quadam alia, ab omni scientiae nostrae sincero amico certe condemnanda animi proprietate; omnia, quae ipsimet non inveniunt et proferunt, injuste ad artis nostrae damnum sarcasmis, quae haud raro a ploebe scientifica pro oraculis tenentur prosequendi et rejiciendi, ex privatisque respectibus qui hucusque haud

unicam tantum extinguerunt scintillam, quae sola in radium, multas forsitan tam obscurae scientiae regiones perlustraturum, concresceret, Egyptiacas conservandi tenebras, conamina, eximius Professor Sachs, qui merito inter primos aevi hujus scientiae medicae cultores numeratur, in sui laudatissimi operis Lipsiae anno 1829 sub titulo: Enchiridii systematis naturalis medicinae practicae idiomate Germanico editi, *Tomi primi sectione secunda, pagina* 106, *et paragrapho* 63, *sequentia observat*: « Valde majoris significationis erat conamen Phrenitidem a Meningitide separandi; postquam vero hujusce successus suis premeretur difficultatibus, principium *Inseparabilitatis earum* profertum et authoritate multorum magnorum medicorum comprobatum fuit ». Attentione vero ad morbos medullae spinalis iterum versa, passus a quo universa medicina lucrum summum obtinere potuisset et deberet, fuit, ipsemet ille summus medicus P. Frank a quo haec motio originem sumpsit, primus, qui inflammationem cerebri, cerebelli, medullae oblongatae nec non ejus involucrorum omnium *inseparabilem* declaravit, quiescentes practici consilebantur hac identicitatis declaratione, cum omni in casu therapia tamen eadem maneat. Quomodo quaeso, antequam particularitas et diversitas morbi praedicti notae fuerint, similia sciri possunt? Revera haec praeceps consolatio haud

firmiori fundamento et majori veritate, quam quondam incoeptum illud, doctrinam Splenitidis sequenti declaratione adimplendi: illam eum morbum latus sinistri, qualem hepatitidem latus dextri esse, fulcitur. Cum vero recentioribus temporibus inflammatio Arachnoideae sollicitarum investigationum (praecipue apud Gallicos medicos) objectum sisteret, evenit, ut omnia, quae prius sine ratione pro Phrenitide tenebantur, nunc modo non minus injusto pro Arachnoiditide tenerentur. Quando ante nonnulla decenia crebra atque pandemica apparitio typhi contagiosi ad specialem ejus investigationem medicos cogisset, et illam comitans visceris cranii affectio inflammatoria detecta fuisset; erant multi, Marco praecesso, prompti ad Typhum contagiosum pro Encephalitide proclamandum. His omnibus illuc perventum est, ut nostris temporibus apud Germanicae nationis medicos, omnis et quaecumque inter Cranii et Columnae vertebralis cavitates inflammatio sub nomine Encephalitidis intelligatur, apud Gallicos medicos vero e contra nomine Arachnoitidis haec chaotica significatio tribui videtur; sed strictioris separationis meritum sine dubio prae omnibus aliis nationi Gallicae debetur (1).

(1) Huic spiritu plenae nationi, cui me Hercle injuste a multis superficialitas in rebus scientificis imputatur, medicina moderna fulcrum haud unum solum ad perficien-

Celeberrimus Rostan in sui ab academia scientiarum Parisiensi coronati sub titulo: *Cours de medécine clinique ect. Bruxellis anno* 1832, jam tertia vice editi operis pagina 182 circa hoc objectum sequentia annotat »les recherches d'anatomie pathologique m'ont souvant convaincu » de l'existance de la meningite independante » de l'encephalite, de même qu'elles demontrent » l'existence de la pleurésie, de la peritonite ect. » independant de la pneumonie, de la gastroenterite etc. Il ne serait donc pas sans importan» ce de chercher quelles sont les nuances, qui » peuvent les faire distinguer l'une de l'autre. » Sous le rapport du prognostic, je crois que » cette distinction doit etre tres interessante; car » il n'y a pas de doute qu'une inflammation » hornée aux membranes ne soit infiniment » moins dangerense que celle qui attaque le tis-

dum firmamdumque, in scientia Hippocratica omne punctum ferentis, artis diagnostices aedificium debet; — in memoriam solummodo inter tantas alias omnem laudem superans Stethoscopii inventio, de cujus applicationis summa utilitate at necessitate in morbis thoracicis, nec non de incredibili surditate vel malitia illorum virorum, qui varecundia non erubescunt, coram mundo tam evidentem negare veritatem millenis vicibus in Clinica medica superiore hujus Universitatis persuasi fuimus, in memoriam revocetur, et sine omni dubio paulo ante pronunciatae sententiae applaudetur.

„su même d'un organe tel que le cerveau.“ Ex quibus clare elucet, quoque hunc summum medicum opinionis esse, a separatione inflammationis cerebri ab illa ejus involucrorum pro medicina maximum nasciturum lucrum.

Hae paucae observationes, ut huic praefigantur opusculo necessariae videbantur, ne objectum, quod pro dissertatione inaugurali a me electum fuit, qua nullius practicae utilitatis condamnetur; nam maxima praecipue aevi praeteriti medicorum pars, in quorum verba jurare, practicorum modernorum haud parvus numerus consuevit, erroneam inseparabilitatis praedictorum morborum opinionem defendit.

DENOMINATIO, DEFINITIO ET SEDES MORBI.

Inflammatio involucrorum cerebri, Cerebelli et medullae spinalis medicis modernis scientifico nomine Meningitis audit, denominatio, quae a graeco vocabulo μήνιγξ, μηνίγδος, quod quancumque cuticulam, κατ' ἐξοχὴν vero involucra cerebri et medullae spinalis denotat, et a particula finali ἴτις quae longae consuetudinis lege sancita inflammationem designat, composita est. Hippocrates videtur sub nomine Οεδήμα εγκεφαλον eundem subintelligisse morbum, sed in significatione magis chaotica, uti in scientiae nostrae aurora evenire debuit. Angli eum Phrensy, et Brain-

fever, secundum vero Mason, Good varietatem speciei empresmatis cephalitidis nuncupant; Germani Hirnbautenzündung vocant; Itali Meningite nominant; Galli tandem Mengite et secundum Pinel, Phrenec appellant; a multis vero hujus nationis medicis nomina: fievre maligne, fievre ataxique, fievre cerebral, hydrocepbal aïque, apoplexie senseuse, apoplexie meninge et arachnitis pro synonimis ejusdem conceptus sed sine ratione tenentur.

Quoniam cuticulae cerebri et medullae spinalis tam arcto connubio inter se pendent, ut in cadaveribus summa difficultate ab invicem separari queant, illarum inflammationes ab invicem distinguere velle onus inutile esse, cum nulla symptomata, quibus cognosci possent, adsint, et propter tam strictum inter se connubium et qua praeditae sunt, communem functionem baud non semper medicorum fugient mentem; quare *sub meningitide inflammatio omnium involucrorum cerebri, Cerebelli et medullae spinalis subintelligitur.*

Ex praedictis elucet, a multis praeprimis nationis Gallicae medicis tractatam Arachnoitidem, quae revera rarissime substantive apparens, sed semper cum inflammatione caeterarum membranarum cerebri conjuncta visa est, ad minus logicas spectare divisiones, et cum symptomata illam concomitantia ab illis meningitidis reapse haud

differant, omni practica utilitate ejus doctrinam destitutam esse; nam etiamsi Parent et Martinet ad Arachnoiditidis symptomata soporem et paralysim, proprietates, quae revera, uti inter alios celeberrimi atque expertissimi Sauvage, Lallemand et Rostan ad evidentiam demostrarunt, encephalitidem exclusive comitantur, et ejus symptomata plane pathognomica, quibus inflammatio haec ab illa distinguitur, sistunt, referrant, nihilominus tamen opinionem nostram detractis e numerosis a tot clarissimis viris institutis cadaverum sectionibus, e quibus eluxit praedicta symptomata saltem Encephalitidi propria esse, resultatis fulciti, illorum assertionem, qui contraria defendunt pro summe erronea declarantes, nunquam relinquemus.

Persuasi igitur sumus aductorum duorum auctorum assertionem vel supra falsam diagnosim fundatam, vel confusionis morbi hujus cum ejus effectibus (nam sopor et paralysis ab exuberante quantitate lymphae effusae, quae meningum inflammationem sequi solet, dependere quoque potest), fructum esse.

In scriptis caeteroquin horum medicorum, uti ex observationibus ab eximio Doctore Georget circa haec institutis luculenter emanat, tanta falsa inveniuntur, ut illis vix fides tribuenda sit. Sic exempli gratia illi asserunt: in Arachnoitide arachnoideam saepissime leviter solummodo prae-

cipue in comparatione cum morbosis cerebri et piae matris mutationibus, alteratam observasse. Porro inter 117 Aracnoitide defunctorum individuorum cadavera, 48 substantiae cerebri mutationes morbosas praebuisse narrant. (Ad hos casus sine dubio et illi Arachnoitidis pertinant, qui sopore et paralysi comitati fuere!) Dein assertio illorum in plurimis casibus in superficie arachnoideae pus extensum ab illis observatum fuisse, a veritate procul esse videtur; nam resultato illorum propriarum observationum nullatenus respondit hoc factum, quum intra quadraginta duos casus, quos ex illorum necroscopiis Georget fortuito extraxit et perlustravit pus in superficie Arachnoideae quinque solummodo, et e contra in iisdem quinquaginta observationibus 52 vicibus pia mater injecta, sanguine scatens et fluido sanguineo-seroso, seroso-purulento aut ichoroso imbuta, quod usque ad fundum Anfractuum expandebatur; 26 vicibus cerebrum partialiter vel totaliter emollitum; 13 vicibus hoc organon injectum et sanguine tectum et sic porro animadvertebatur. Circa 77 observationes narratur organon cerebri fictum *et perfecte sanum* fuisse; e quo eluceat cerebrum morbosum desorganisatum esse debere! Sub 80 vero observationibus arachnoidea perfecte sana observata fuit.

Hi casus, quos nos scopo insutenticitatem relationum dominorum Parent et Martinet de-

monstrandi adduximus, tanta invincibilia argumenta pro rarissima apparitione Arachnoitidis substantivae sistere nobis videntur, ut aucthoritate Professoris Rostan (1) confirmati declarare nullo haesitemus momento: *Arachnoitidem in Pathologia speciali proprio non egi articulo, sed sub meningitide intelligendam esse.*

Prius quam ad morbi divisionem procedamus, quae. ex objecti nostri natura sponte exsurgit, quaestionem: An, nempe, cerebri et medullae spinalis meninges ad illas organismi partes, quae inflammationi subjectae sunt, pertineant, vel non? respondebimus.

Cum secundum unanimem auctorum consensum, inflammationis natura in processu vitali aducto, et sanguinis plasticitate, etiamsi non semper in toto organismo (febris) ad minimum tamen in parte affecta, exuberante consistat, nemo declarando: eas solummodo organismi partes,

(1) In sui paulo ante nominato opere circa hanc controversam quaestionem, hic celeberrimus vir, pagina 182 sequentia asserit: « Nous ne chercherons pas a etablir de difference entre l'arachnitis et l'inflammation de la piemére, bien que dans quelques circonstance, *rares a la vérité* l'une de ces membranes puisse etre enflammée sans que l'autre le soit; leurs signes sont *exactment les mémes* c'est pour quois nous les comprenons l'une et l'autre sous le nome de meningite, ainsi que la fait M. Guerseut dans le dictionaire de médicine ».

quae vasis nervisque praeditae sunt, huic morbo subjectas esse posse inficias ibit, nam proprietates, uti sunt: dolor, temperatura adaucta, caeteraque omnia, quae inflammationem stipant, symptomata, illis tantum in partibus, quae nervis, vasisque sanguineis, quae vitalitatis sunt fulcra, superbiunt, manifestari possunt; vitalitas enim exaltata (inflammatio) praeexistentiam vitalitatis supponat opportet.

Meninges cerebri, medullae spinalis ad tales spectare partes, contrariis non obstante Professoris Rudolphii ejusdemque asseclarum observationibus, est pridem jam explorata veritas. Tam mentis sagacitate, quam doctrina, experientiaque excellens Professor Sachs, cujus paulo ante merito laudatam mentionem fecimus, in suo eximio a nobis jam alibi citato opere circa hoc objectum sequentibus disserit: Ad Rudolphii praedilectas assertiones illa quoque, uti nemineni latet, pertinet; membranas serosas generatim Epidermidis diguitatem habere, illas vasis nervisque totalitar destitutas esse, humores per illas tantum transudari, nullatenus vero ab illas secerni, illas nullo morboso processui idoneas, sed illud, quod pro hoc tenetur, morbos illis adnexarum partium et par eum productas mutationes esse; quod ergo Pleuritis, Peritonitis (sine dubio et meningitis) nominabatur, inflammationem tantum superficiei Pulmonum, Cordis, Intestino-

rum etc. etc. esse (in ejus Physiologiae Tomo primo, pagina 100 et sequentibus, nec non in multis aliis locis hujus docti operis). Creditne Rudolphi, hac ratione hydropem Pectoris Pericardii etc. etc. explicari posse? Estne possibile ut superficies Pulmonum vel Cordis humores secernat? Revera in certo sensu assumi potest membranas serosas vasis esse destitutas, quin cum Rudolphio ad illas paradoxias rapi mittamur. Vas minimae significationis est, quamdiu canalem, cavum format; ibidem tantum, ubi inseritur, secernens aut absorbens, idem valet, sua vitalis diguitas incipit. Nullo vero dubio obnoxium est multa praecipue secernentia vasa membranis serosis inseri. Vasorum ad membranas serosas proportionem pulcherrime Gendrin in suo opere, *La description anatomique de la phlogose*, per Doctore Radium etiam in Germanicum translatum idioma et Lipsiae 1828 editum, speciatim in Tomo primo pagina 38 et sequentibus exposuit. Sed praeter haec Rudolphii conamen, possibilitatem inflammationis membranarum serosarum negandi apud medicos practicos sine ullo fructu maneret, cum quotidie et clare de contrario persuadi possint, et tandem etiam debeant. Maxime vero contra ejus opinionem loquitur sequens factum: Schroederus van der Kalk (Vide ejus observationum anatomico-pathologici et practici argumenti fasciculum primum) Arach-

noideae vasa injecit, et hic revera illusio minime locum habere potuit.

Celeberrimus Chaussier duram matrem ramis nervosis et quidem filis quibusdam, a gangliorum systemate venientibus, et arteriis, quae hic magno numero adsunt, sese associantibus, praeditam esse, apodictice demonstravit. Praedictas autem arteriae, uti in celeberrimi Hippolyti Cloquet eximio anatomiae tractatu descriptivo pagina 272 paragrapho vero 1545 legitur, sunt Arteriae meningeae mediae provisae, arteriis maxillaribus internis et parvulis quibusdam ramis quos arteriae ethmoidales anteriores et posteriores, lacrymales, pharyngeae inferiores, vertebrales, occipitales et temporales suppeditant.

Praesentiam in meningibus nervorum atque sanguiferorum vasorum praeter superius adductas Schroederi injectiones, circumstantia ea, illas etiamsi vasa earum in statu physiologico oculos anatomorum fugiant, in statu inflammatorio intense rubere et aegros maximis trucidari doloribus, luculentissime demonstrat. In eximii opere dominorum L. Ch. Roche et L. I. Sanson, quod tertia vice anno 1834 curis Doctoris Marini Bruxelliis editum est, tomo primo, pagina 186 circa id sequentia adnotata inveniuntur : « Insensibles » dans l'etat sain? les membranes sereuses ac- » quierent une sensibilité excessive lorsqu' elles » sont enflammés; la douleur y est brûlante, pun-

» gitive, la rougeur est plus marquees, que ne le » faviet supposer le petit nombre de vaisseanx » sanguins, qui penetrent ces membranes » (Me Hercle res incredibilis, si absentiae vel tantum parcitas vasorum sanguiferorum demonstrata fuisset)!

DIVISIO MORBI.

Maxima medicorum de meningitide disputantium pars eam sequenti ratione sbdividit.

1) Secundum ejus sedem in meningitidem cerebralem et spinalem seu rachidicam (meningite rachiene, Rostan, Georget, arschnoitide rachidienne L. Ch. Roche, L. I. Sanson et multi alii) nec non in meningitidem convexitatis et baseos Cerebri (Georget, Rostan, Parent, Martinet, etc.).

2) Secundum decursum, in acutam et chronicam, (quam multi, inter quos Roche et Sanson quoque observantur, sine sufficiente uti mihi videtur ratione Hydrocephalum chronicum, qui exitus meningitidis chronicae est, appellant) et

3) Secundum ejus symptomatum varium complexum, in puram et complicatam (Rostan, Georget, et fere omnes de hoc disserentes objecto caeteri medici).

Non desunt tandem, qui illam secundum typum in continentem, remittentem et intermittentem (Roche et Sanson, a rachnite-quod illis pro meningitidis synonymo valet-intermittente

cerebrala, ou fievre pernicieuse céphalique, delirante, soporeuse, maligne, ataxique et sic porro)subdividunt; sed sine dubio a veritate aberrant, nam febrem malignam, ataxicam larvatam intermittentam atc. morbum inflammationi plane heterogeneum esse, res clarior est, quam ut ignorari possit, et nihil, quam aliqua symptomata cum illa communi habat; quomodo enim, si naturae ab illa inflammationis toto coelo diversae non esset, nullo alio medicamento, quam Chinaa Cortice, ad antiphlogisticorum solvantiumve catervam me Hercle non spectante, fugari posset?

NOSOGRAPHIA.

Secundum principia medicinae organicae, quam nos cuicunque aliae, uti sanae rationi maxime consentaneam, ex vera persuasione praeferimus, cognitio cujusdam organi et ejus functionum ad cognitionem symptomatum, quibus morbi ejus characterisantur, conducat oportet. Nota textus cujusdam laesione, quibus illa stipatur, signa neminem latere posse, cuique annuit sana ratio. Affectionem ventriculi a laesa progigni digestione; cordis a norma aberrationes a circulationis erroribus praeprimis denotari; et morborum pulmonalium symptomata principalia in laesa respiratione praecipue quaerenda esse, sponte elucet. Nemo igitur ad cognoscenda meningitidis

symptomata pro optima ductrice functionum meningum notionem declarare haesitabit.

Quo meningum functiones curiositati humanae caelavit natura, velum hucusque Physiologiae ministri penitus detrahere incassum tentarunt. Verum prob dolor est, hodierna adhuc die plurima hac in re latere, pancissimaque liquere; nihilominus tamen pauca illa, quae de hoc scimus objecto, bene perscrutata, ut multa elucescant, sufficiunt.

Quae vero circa praedictorum involucrorum functiones evicta habemus, sunt sequentia:

I. Meninges cerebrum contra influxus inimicos tuentur, et

II. Fluidi serosi motibus praedicti organi faventis, pauxillum, quo stimuli quoque per ipsarum meningum actionem in cerebri substantiam producti effrenis infringitur vis, secernunt.

Ab normali functionum harum membranarum statu, normalem cum illis strictissime connexi cerebri quoque actionem necessario dependere nemo non intelligit, qua ex causa etiamsi meninges functionibus mentalibus nullatenus praesint, illis tamen laesis hae quoque alterari debent. Ergo tam meningitis, quam encephalitis, symptomatibus functionum ejusdem organi laesionem denotantibus manifestantur; in eo tamen differunt, quod encephalitis, cum in illa cerebrum directe ergo profundius quoque laesum sit, functionum hujus

organi depressione, meningitis vero e contra propter stimulorum per meningum turgescentiam et calorici majorem emanationem in Encephalon agentium numerum adauctum, earum usque ad delirium exacerbatione stipetur.

Celeberrimus Rostan adnotat quidem meningum inflammationes, ipsa suppuratione terminatas, sine delirio observasse; sed cum tales casus rarissimi sint, et solummodo, uti ipse praedictus ait Auctor, in individuis senectute, quae ipse est morbus, confectis et forsitan cachexiis quoque laborantibus monstrentur pro anomaliis et pathologicis varietatibus potius, quam pro factis, quae nostrae a viris auctboritatis ad aegrorum lectulos observatis et anatomia pathologica confirmatis numerosis casibus fulcitae Theoriae veritatem obnubilare valent, teneantur oportet. Quare nos cum tot et tantis medicis neotericis *delirium* meningitidis signum princeps et constans esse declaramus, etiamsi et nostram non fugiat mentem delirium alios quoque morbos comitari posse.

Nunc vero phaenomena functionalia, sincere eoque ordine, quo ad aegrorum lectulos sequi a fide dignis medicis visa fuisse narrantur, enumerare conabimur, quibus organicas per hunc morbum productas mutationes quoque adjungemus. Ad symptomatum catervam vero oculis facilius percurrendam morbi decursum in tres subdivi-

dimus periodos et illas secundum contentorum in omni stadio symptomatum proprium characterem *exaltationis, inflammationis declaratae et depressionis seu terminationis* periodos nominamus.

Periodus prima *seu exaltationis*, si convexitatis loborum cerebri meninges afficiantur, capitis dolore violenti, characteris particularis typique continui apud proles per clamorem proprii generis, quem Coindet clamorem hydrocephalicum, propter ejus cum ventriculorum hydrocephalo crebra apparitione, nominat, sese manifestante annunciatur. Haec cephalalgia mox frontis mox sincipitis moxque occipitis regionem occupat, somnolentia excipitur et hac fugata cum majori saevit ferocia.

Memoratu dignissimum atque pro Diagnosi summi est momenti; hunc morbum phaenomenis universalibus semper stipari quia haec inflammatio, etiamsi partialis appareat, ambo latus occupare observata est-rarissime enim meninges in uno latere tantum afficiuntur (Rostan).

Facies plurimum rubescit, rarius pallida animadvertitur, semper vero dolorem exprimit, oculi adparent sanguine injecti, splendentes et sensibilitas eorum usque ad photopbobiam exaltata est, quare palpebrae clauduntur. Aegroti scintillas, scotomata volantesque diversi coloris et figuram mutantes particulas vident, flent, dolo-

res atrocissimos, praecipue in regione frontali residentes accusant, tinnitu et susurru aurium molestantur, dantibus strident, impatientes evadunt, et breviter confuseque ad interrogationes respondent. Calor cutis adauctus, lingua sicca, rubra, sitis magna, circulatio accelerata, respiratio vero languens observantur. Ab initio morbi vomitus fere semper apparet, sed dolor epigastricus, quo Gastro-Enteritis characterisatur, eum numquam comitari visus est. Alvus, si murbum Enterocolitis, quod apud proles saepius observatur, non praecesserit, fere semper obstipa animadvertitur; urina raro emittitur, hinc sedimentosa.

Frequenter evenit, ut haec prima morbi periodus apud senes desideretur. Aegri uno quasi ictu, uti in congestionibus accidere solet, conscientia privantur, sed post hunc eventum semper motus febriles, quibus hic morbus a sanguinis versus Cerebrum fluxu distinguitur, manifestantur.

Periodus secunda seu inflammationis declaratae feroci clamorosoque delirio, postquam praedicta symptomata per duarum vel trium dierum nonnunquam longius quoque temporis spatium perduraverint, intrat, quo vigente aegri clamant, agitantur, in adstantes spuunt, dentibus strident, minas jactant, lectulum deserere atque sub blasphemiis manus sibi aliisque inferre conantur. Actiones illorum in hoc stadio robore taurino

stipantur atque animo maligno characterisantur. Dolor capitis adaugetur, intensior atque acutior evadit. Facies atque extremitates motibus convulsivis et tendinum subsultu comprehenduntur; oculorum caeterorumque sensuum sensibilitas imminuitur, pupillae praeter normam aut dilatantur aut contrahuntur, aegri autem in aetate infantili versantes strabismo saepissime molestantur. Pulsus plus vel minus evoluti, saepius irregulares et trementes, rarissime vero normalibus debiliores et lentiores in hac epocha animadvertuntur. Lingua semper rubescit; sitis est adaucta et vomitus nonnunquam persistit.

Periodus tandem tertia seu depressionis et terminationis, symptomatibus, quae depressionem universalem denotant, characterisatur. Clamores cessant, carphologia manifestatur, motus convulsivi atque contractiones praecipue in membris thoracicis apparent, pupillae dilatantur et oculi pro incitamentis ordinariis insensibiles evadunt, in illorum orbitis rotantur, delirium clamorosum a silentio terribili excipitur, et quaestiones ab aegris non respondentur. Usque ad hoc momentum somnus fugebat hos infelices, nunc illos modo excessivo obruit, trunci exanimi adinstar immoti contractis jacent membris. Effectus effusionis humoris serosi, quae membranarum serosarum inflammationem sequi solet, comatosus hic status est; sed et injectio cerebri simplex aut ejus

per diversas causas compressio eum producere valent.

Facies in hoc stadio pallida, et decolorata invenitur; oculi turbidi, pulverulenti, semiclausi, versus partem superiorem convulsi; nasus attenuatur; aures frigidae; labra sicca, dentibus adtracta; lingua brunascens et sicca; deglutitio difficilis et nonnunquam strepitosa, quae haud raro cum tussicula nauseaque perficitur, et propter fluidorum ob deglutitionem impeditam in glottidem transitum ructibus stipatur; meteorismus demum et faeces aegro inconscio eliminatae observantur.

Cutis est frigida vel sudore viscoso tecta; respiratio autem rara, saepiusque stertorosa. Quando morbus sanitate terminatur, descriptorum symptomatum intensitas gradatim decrescit vel resolutio rapida cum vel sine phaenomenis criticis persolvitur. Sub sinistris vero rerum adjunctis, aut sudor frigidus extremitatumque gelus cum respiratione stertorosa, aut intensae Convulsiones, quod praecipue apud infantes animadvertitur, mortem annunciant.

Haec sunt meningitidis haemisphaerarum cerebri acutae symptomata principalia. Adnotandum tamen venit, acerbationis ejus momenta valde irregularia esse; cutis et faciei colorem sine causa manifesta saepius variare, periodosque ejus minime, constantes et fixas animadverti.

Si meningea ad basim cerebri inflammentur, tunc phaenomenorum illorum, quae exaltationem denotant, intensitas, diminuta observatur. Laevissimum adest delirium et aegri lente quidem, sed juste tamen ad interrogationes respondent, quod signum manifestum est, aliis functionibus minus laesis attentionam solummodo depressam esse. Cum vero caetera phaenomena morbosa cum illis meningitidis loborum cerebri acutae coincidant, illa, brevitatis causa silentio praeteribimus. Causam vero hujus meningitidis varietatis in relative minori partium inferiorum cerebri sensibilitate vel fluidi serosi in meningibus illarum majori secretione quaerendam esse, credimus.

Inflammatio involucrorum medullae spinalis (meningitis spinalis quam Galli meningite rachidienne appellant, raro sola, sed saepius cum meningitide cerebrali conjuncta at tunc symptomatibus quoque hiuc propriis stipata observata fuit. Abstractis vero communibus praedictis symptomatibus, phaenomena inflammationi membranarum propria medullam spinalem obvolventium sequentia adnotari possunt: Contractio musculorum dorsi, capitis et trunci postrorsum versio (opisthotonus) et columnae vertebralis secundum ejus integram longitudinem in formam speciei arcus inflexibilis incurvatio. Adnotandum est, sub meningum basim cerebri te-

gentium inflammatione, portionem cervicalem medulla spinalis quoque postrorsum flectie; sed tunc caeterus truncus suam naturalem directionem conservat. Porro ad signa pathognomica meningitidis spinalis, dolor particularis molestiae variabilis in directione columnae vertebralis exsorgens, et per integram dorsi regionem sese expandens, cujus typus saepissime continuus, rarius remittens, rarissime vero intermittens observatus fuit, sub compressione exacerbandus, spectat. Doct. Olivier, aegros sub minimo corporis motu, ob dolorum saevitiem flebiles clamores emisisse observavit.

Meningitis chronica saepissime acutam sequitur; nonnunquam tamen evenit, ut jam ab morbi invasione symptomata characterem chronicum praeseferant. In plurimis casibus cephalalgia continua observatur; somnolentia, hebetudo, intellectus obscuratio et morositas exsistunt; vox balbutit, ideae confunduntur; delirium nonnunquam in scenam prodit, et in speciem idiotismi transit. Motus lente et difficulter perficiuntur; membra motibus involuntariis agitantur, et eorum servitium recusant; rarissime vomitus et motus convulsivi manifestantur; functiones vitae individualis usque ad morbi ultimum tempus at paulo prius, quam mors secuta fuerit, nullas praebent mutationes.

548

Primis morbi diebus meningum injectio manifesta observatur, sed ab illa, quae a plethora sine nota inflammatoria producitur, essentialiter differt. In congestionibus cerebralibus vasa sanguine impleta inveniuntur, et illorum ramificationes prosequi possunt. Si individuum quoddam cordis affectione necatur, haud raro evenit ut cerebri vasa sanguine nigro impleta inveniantur, ab in cadaverum investigationibus minus exercitato haec mutatio pro inflammationis effectu facillime interpretari potest, et hic error tanto expeditius committetur, quo hic quoque, uti in meningitide, effusiones serosae praesto haud raro observentur; sed symptomatum meningitidis, quibus morbus praecessus stipari deberet absentia et cordis affectio praegressa omne delebunt dubium. Separatae a cerebro membranae intensius rubescunt, quis hac ratione vasa illarum magis appropinquantur, quod tam in meningum inflammatione, quam in congestionibus cerebralibus observatur.

Injectio inflammatoria sic uniformis et aequabilis est, ut membrana integra sanguine impraegnata esse videatur. Post aliquot dierum spatium arachnoides sua pelluciditate orbatur, tardius consistentior evadit, manibus difficilius laceratur; sed celeberrimus Rostan jure dubitat, illius pondus

revera auctum esse, argumentum ducens, pleurae ponderis augmentum quoque illusorium esse, illudque per suppositam pseudomembranam formari; nam illa detracta pleura primitivam suam consistentiam et pelluciditatem recuperare visa est.

Ab initio morbi membranae, siccae, et cerebri organo tam adnatae inveniuntur, ut ab eo separari nequeant, et si vi detrahantur, cum illa simul substantiae corticalis Cerebri portio extrahatur, etiamsi cerebrum neque amollitum, neque, rubro, uti in vera Encephalitide, colore punctatum observetur.

In stadio tertio inter arachnoideam atque piam matrem fluidum aerosum ad gelatinae consistentiam condensatum videtur; hoc effluvium ad ventriculos atque basim cerebri usque, extenditur, et turbidum pureque commixtum esse fertur; quantitas vero ejus variat. In gyrorum intervallis quoque adcumulatum invenitur pus, sed nonnunquam coloria rubescentis fluidum quoddam ejus supplet vices, quod pro fluidi serosi cum vero sanguine mixtione tenetur. Nos cum celeberrimo Rostan sanguineam hanc effusionem pro morbosa exhalatione nullatenus agnoscimus, sed pro sanguine e vasis ob eorum magnam turgescentiam ruptia effluxo et fluido seroso commixto tenemus.

Post meningum vero inflammationem chroni-

cam, eae incrassatae atque albedine margaritina nitentes parvulis granulationibus, et veris tuberculis, quas in textu in et sub arachnoidea praesenti vel infra illum resident, repletas animadvertuntur.

Genuina puraque cerebrum atque medullam spinalem obvolventium membranarum inflammatio paulo ante descriptam imaginem praesefert; sed avenit saepius, ut aliis morbis complicetur, quo in casu symptomatum caterva augetur, et secundum morbi complicantis naturam variat. Hoc loco illos morbos, qui cum meningitide saepius connubium inire visi sunt, nominatim solummodo adducemus; specialia vero phaenomena, quibus unusquisque eorum manifestatur, tam brevitatis causa, quam hujus opusculi exoptat scopus, quam propter complicationum naturam nullatenus aenigmaticam, omittere censuimus.

Complicationes meningitidis cum digestionis, et respirationis morbis inter caeteros omnes saepissime occurrunt. Meningitis cum pleuritide, eam saepissime praecedente, conjuncta a multis clinicis observata fuit. Quersent, proles phthisi tuberculosa pulmonum laborantes plures meningitide baseos cerebri mortuos fuisse, observavit. Meningitidem cum diversis quoque efflorescentiis cutaneis acutis complicari posse, summe probabile est. Quersent tamen in dictionario me-

dico, hanc complicationem in prolibus duorum usque quindecim annorum nunquam observassa asserit, nos vero, boc non obstante, observationum aliorum, contraria defendentium medicorum veritatem in dubium non tantum nullatenus trahimus, sed in illorum opinionem potius inclinare confitemur. Enteritis tandem meningitidem lubenter praecedit et comitatur.

Aetiologia.

Nullum temperamentum, nullus corporis habitus, sexus nullus, aetasque nulla contra meningum inflammationem prophylactica gaudent virtute; temperamentum tamen cholericum, plethoricum corporis habitus, sexus masculinus aetasque infantilis et juvenilis prae caeteris majori in hunc morbom proclivitate excellere videntur, quamvis id, cum in eo medicorum adhuc discrepent opiniones, cum certitudine asseri non potest. Secundom D.D. Parent et Martinet aetatum tabellam meningitis in aetate, quae inter quindecimom et inclusive sexagesimom annum versatur, saepins quam in prolibus quinque usque quindecim annorum observatur. Juxta eorundem medicorum observationes morbus hic viros quoque saepius quam foeminas ingreditur, quoniam inter 116 casus 88 mares numerandos esse affirmant; e contra vero celeberrimus Quer-

sent sexum foemineum in aetate infantili versantem inflammatione basim cerebri tegentium membranarum crebrius masculino laborare annotat, sed in eo et ille convenit, hunc morbum in adultis apud mares communiorem quam apud foeminas esse, cum jam illorum fortior corporea constitutio illos ad morbos inflammatorios magis praedisponat. Idem auctor hanc hypersthenian in aetate infantili usque ad pubertatis annos terribillime grassari, suis propriis observationibus evictum habere asserit.

Causae vero occasionales meningitidem producere valentes, sunt sequentes: Percussio cranii, insolatio, phlegmasiae acutae vel chronicae cerebri, capitis a capillis denudatio (1) refrigerium summum, erysipelatis faciei vel generatim cujuscunque efflorescentiae cutis inflammatoriae praesentia et ad interiora repulsio, ignis supra caput applicatio, tinea per remedia repercussiva valde rapide fugata, otitidem apud proles sequens suppuratio, omnes dolores violentos, dentitio difficilis, spirituosorum, potus arabici, opiique abusus miasmata quae Typhum et febrem flavam producere valent, membranarum mucosarum,

(1) Vide, in diarii Huffelandi tom. XVI. fascicul. III. pag. 67, articulum sequentem: Ist das Abschneiden des Haupthaares und des Bartes eine der Mode zu überlassende gleichgiltige Sache? von G. I. Mathei.

serosarumque diversorum organorum inflammatio, et tandem omnes caeterae inflammationem producentes causae, si in meningum regionem agant.

Causae vero meningitidem chronicam provocantes magis latent. Notum tamen est, eam capitis laesionum, cranii neonatorum, compressionum et organorum digerentium affectionum crebro, saepissime vero meningitidis acutae sequelam esse.

Causae autem meningitidis spinalis particulares ignorantur; illud tantum patet, eam ab fortius contusionibus, membranarum puncturis et vertebrarum carie saepius productam fuisse.

Meningitidem comitantibus phaenomenis, et eam producentibus causis explicatis, morbi quoque ei similes, una cum signis particularibus eam ab illis distinguentibus, ut, quibus diagnosis ejus premitur, difficultates omnes evanescant, adducantur oportet.

MORBI QUIBUS MENINGITIS ACUTA CONFUNDI POSSET.

Cum phaenomena meningitidis functionalia cum illis, quae morbos acutos cerebri stipant, ut in nosographia demonstravimus, coincidant, hi

cum illa facillime commutantur. Ad praedictos vero morbos congestio cerebralis, encephalitis, haemorrhagia atque emollitio inflammatoria cerebri numerantur.

Cum meningum phlogosis cum congestione cerebrali, et encephali ejusque involucrorum statu irritativo propter symptomatum magnam analogiam, inter omnes adductos morbos facillime confundi possit, et hic error scaturiginem tantorum discriminum sistat, huc praeprimis nostra attentio vertenda est. Multi medicorum in omni cerebri irritatione Encephalitidem vel Meningitidem vident, et in sanguinis emissionibus, quod praecipue sub coelo calidiori consuetudo evasit, infatigati sunt, atque hac ratione cachexiis, et cacochemiis haud paucis sternunt viam. Multi, uti celeberrimus Most asserit, credunt nullam febrim, quoniam secundum Broussais condemnabilem Theoriam illi inflammationem semper supponendam esse affirmant, sine generosissimo antiphlogistico apparatu sanari posse. Quomodo in Nosocomiis Gallicis sanguinis emissiones larga instituuntur manu, et contra ipsas debillimas puerperas nullus habetur respectus ex facto multas gracilium febri puerperali laborantium puerperarum in Nosocomio Maternité dicto adhuc anno 1829 hoc modo sacrificatas fuisse, luculenter elucet. (Vide Tonellé in archiv. générales de medicine Tom. XXIII. mensis Martii et Aprilis).

In sectione mensis Maii hujus diarii, pagina 41 sequentia leguntur: « Les applicationes de sangsues se faissaient, constament sur le ventre au nombre de quarante, quelquefois mêmes soixante et frequemment elles etaient répétées le soir et le lendemain, si l'amélioration n'etait pas evidente; il arivait aimis tres souvent qu'on en employait plus de deux cents (!!!) chez la même malade (puerpera) dans l'espace de trent sex du quarante huit heures » et non obstante saepissime tertia jam die morte subsecuta in hac curandi methodo(?) prosequebatur! — Sed haec vampyrea in sanguinem humanum sitis et medicorum Germanicorum, sanguinem secus abhorrentia corda modo haud intelligibili occupavit! — Etiam ibidem innumeras hirudinum cohortes ad minimas sanguinis congestiones sufflaminandas, immemores et vitae vim eliminari, adoperant medici. Jure hinc celeberrimus Horn in suo archivio anni 1835 mensinm Maji et Junii pagina 379 sequentibus verbis hunc deleterium accusat abusum: « Terminus encephalitis hodierno tempore valdopere abutitur. Irritatio cerebri cum calore adaucto capitis et phantasiae ludis, quae pro encephalitide tenetur, haud raro apud proles et juvenes cum synocha gastrica occurrit. Secundum praeceptam ideam quotidie adoperarentur sanguisugae, si usum illarum in clinica non desuadissem mea. Media solventia et purgan-

tia nec non pauca fomenta frigida ad perfectam suffecerunt sanationem ».

Ex adductis, quomodo in sanguinis emissionibus, si curae nostrae commissorum, aegrorum nobis cordi est salus, cautos esse oportet, luculenter emanat. Quare, ut fatalis hic evitetur error, in inflammationis rite evincendae diagnosi ad symptomatum eam indicantium integrum complexum, ad illorum intensitatis gradum, nec non, quibus morbus productus fuit, causas convertenda est attentio.

Symptomata inflammationis constantia, intensitate et ininterrupto cursu manifestantur, cum e contra in congestionibus atque in sic dicto statu irritativo fugacitate et levitate stipentur; hinc febris inflammatoria, phaenomenorum gravitas et longior duratio — nam congestionas plurimis in casibus jam inter 12 vel 24 horas dissipantur — tam cerebri quam meningum inflammationi conveniunt, in congestione vero desiderantur.

Praeterea congestio, quod cum extravasatis commune habet, rapidissime nonnunquam intra paucorum minutorum spatium, evolvitur; inflammationem vero signa prodroma praecedunt (vide nosographiam meningitidis).

Ad causas demum meningitidem producentes (vide aetiologiam meningitidis) animi commotiones, influxusque quicunque psychici-scaturigines principales congestionum non spectant; nam in-

flammatio meningum, quae uti malum materiale semper consideranda est, qua talis solummodo ab illis influxibus provocari potest, qui magis materiem et ejus mixtionem quam dynamin alterari queunt.

Meningitis ab Encephalitide vero per eorum phaenomenorum, quae functionum mentalium exaltationem, uti sunt: delirium, adaucta oculorum aliorumque sensuum susceptibilitas, dolores acuti violenti convulsiones, hisque similia distinguuntur, nam cum Encephalitidis sympthomata, a profundiori sed minus dolorifera cerebri laesione dependeant, his penitus opposita sunt, et quidem extremitatum contractionibus, sopore et paralysi mox completa mox incompleta aut universaliter aut particulariter apparente, manifestantur. (Vide praecedentem meningitidis nosographiam). Celeberrimi Doctores Lallemand et Rostan praedicta symptomata Encephalitidis pathognomonica esse jam pridem demonstrarunt et clarissimus Bouillaud confirmavit. Meningitis cum encephalitide vel emollitione cerebri complicata solummodo, citatis phaenomenis manifestari visa est, sed pura semper signis toto coelo differentibus stipatur.

Morbi ingressus intemperatus, tumultuosus praecipue in individuo ad illud usque momentum optima gaviso salute, habituque plethorico praedito, et morbo jam evoluto, phaenomeno-

rum, quae depressionem vitalitatis indicant, manifestatio, haemorrhagiam cerebralem praeprimis characterisant.

Emollitio tandem cerebri per phaenomenorum functionalium lentam et gradatıvam evolutionem, febris absentiam, in multisque casibus manifestam dispositionem scorbuticam eam comitantem manifestatur.

Henke asserit, meningitidis symptomata cum illis, quae enthelmintum in organismo praesentia provocare valet, confundi posse; sed talem errorem unquam commissum fuisse difficillime revera intelligitur, quia cephalalgia, pupillarum dilatatio, vomitus et convulsiones ipsae, symptomata nonnunquam per vermes intestinales producta, nunquam uti in meningitide constantia observata sunt, neque febris cum respiratione suspirante et inaequali ea procedit, nec comitatur; tandem quoad decursum morbus verminosus cum meningitide plane nullam praebet analogiam.

Ad morbos meningitidis similes posset mania quoque numerari; sed praeter tam febris, quam caeterorum inflammationem denotantium symptomatum absentiam vix cum illa confundetur.

Inflammatio membranarum medullam spinalem obvolventium acuta, cum acutis medullae spinalis phlogosibus magnam praebet analogiam;

sed per illaesam membrorum inferiorum actionem, quae in myelitide plus vel minus torpida observantur, distinguitur (Ollivier).

MORBI MENINGITIDI CHRONICAE SIMILES.

Omnes morbosae cerebri affectiones, quae functionibus mentalibus laesis, dolore capitis, atque lento stipantur cursu, primo obtutu cum cerebri involucrorum inflammatione chronica confundi possunt. Ad morbos praedictos cancer, tuberculaque cerebri, porro cranii exostoses internae, et a praesentia hydatidum cerebri producta male spectant, sed illorum symptomatum primo momento apparens analogia, sub scrutatoris intensiori attentione facillime evanescit.

Hydropem encephali chronicum inter cum meningitide chronica quandam analogiam habentes morbos non adduxi, quia illa meningitidis effectum sistit, atque tali ratione uti ab illa differens morbus considerari non potest.

Existentia cancri cerebri, per capitis dolores lancinantes, cutis pallorem, in brachio parti capitis affectae opposito punctiones, praecessam vel praesentem pectoris aut testiculorum, si patiens ad masculinum aut uteri, si ille ad foemineum pertineat sexum, cancrosam affectionem, et tandem per aetatem aegri evincitur; nam neminem latet, a cancro adultos vel senes solum-

modo affici, individua vero juvenilia ab hoc morbo excepta esse [illegible]

Tubercula cerebri in juvenibus, tuberculis ad alia organa laborantibus, suspiciuntur.

Internae cranii exostoses comprimendo encephali illis correspondentem partem, somnolentiam, paralysin etintellectus imbecillitatem producunt; traduntur vero fixis doloribus ad cranium osteocopis, illorum tempore nocturno per lectuli calorem augmento, nec non sub certis athmosphaerae conditionibus exacerbatione.

Sine praecessis meningitidem chronicam producere valentibus, causis, evolutio ejus, et praedictorum morborum absentia, ad hydatidum cerebri praesentiam concludendam conducunt.

Inflammatio involucrorum medullae spinalis chronica cum praedictis morbis chronicis, si inter columnam vertebralem resident, commutari, iisdemque signis pathognomonicis (intelligitur mutatis mutandis) distingui potest; nam cancer, tubercula, tumores ossei interni et hydatides medullae quoque spinalis existunt. Uti in meningitide cerebrali chronica ita et in spinali ex superius data causa de illius hydrope nulla fit mentio; sed morbus quidem chronicus medullae spinalis, tabes dorsalis nempe, adhuc superest, qui forsitan cum ejus meningitide diuturna confundi posset sed talis error aut ab ignorantis summa, aut ab attentione dissipatissima committi

possel, nam emaciatio universalis et febris hectica, quibus praedicta stipatur cachexia, sunt tam facile perceptibilia symptomata, ut medicinae peritum vix latere possint.

MENINGITIDIS EXITUS.

Meningitis in sanitatem, in alios morbos, aut in mortem ipsam terminator.

Sanitas vel cum, vel sine praecessis crisibus recuperatur. Hunc faustum exitum haemorrhagiae per nares, aut per uterum, haemorrhoides, sudor profusus, et urinae cum purulento copiosoque sedimento haud raro annunciant. Quotiescunque vero salutari quidquam modo inciderit, deliria, quae diu noctuque urgebant, sensim sensimque decrescunt, et cum somno placido et reficiente alternant. Quousque vero vigilia cum delirio feroci continuant, nulla de morbi felici solutione adest spes. Leviores quidem meningum phlogoses, non tam saepe, uti Encephalitis, in mortem terminari; videtur ea non tam rara illarum callositate post mortem hominum, qui ejusdem morbi signa aderunt, inventa, doceri; vulnerumque ad calvariam penetrantium historia abunde illustrat (Peter Frank); nihilominus tamen secundum neotericorum experientiam, toties hanc inflammationem mors sequi visa est, ut de prognosi reservatissima semper instituenda nullum adsit dubium.

Mania, fatuitas, hydrocephalus, hydrorachis, et secundum nonnullorum observationem, pneumonia quoque, sunt morbi, in quos inflammatio cerebrum et medullam spinalem obvolventium membranarum saepe transire animadvertebatur, sed ea etiam pro votis licet depulsa, aegrotus tamen ad longum tempus vertigine, dolore oculorum capitis, memoriae debilitate, auditusque acutie aut gravitate laborat.

Mors vel meningum suppuratione vel apoplexia serosa aut sanguinea exsequitur, et inter trinm, quatuor aut triginta nonnunquam dierum spatium intrat. Individua hoc morbo correpta rarissime ante quartam aut quintam diem mortua fuisse observata sunt. Querent mortem usque ad 28 diem protractam vidisse asserit, et Parent atque Martinet exemplum de quodam meningitide laborante viro, qui trigesima prima die mortuus est, adducunt. Saepissime vero hic morbus inter duas vel tres septimanas terminatur; cum autem phaenomenorum ingressum stricte definire res difficillima sit, ideo durationis morbi tempus approquinquative tantum designari potest.

Signa, quae deleterium exitum denotant, sunt sequentia: masticatio perpetua, stridor dentium, deglutitio laboriosa, valde urgens bilis aeruginosae vomitus, pervigilia protracta, tendinum subsultus, urinae tenues, crudae, spasticae et faeces albescentes.

In tractanda meningitide sequentes exsurgunt indicationes.

1. Causae, quae eam produxerunt, adhuc vigentes amovendae, vel si amplius amoveri non possint, omnia quae morbum exacerbare valent, evitanda.

2. Phlogosis debellanda.

3. Minans encephali vel columnae vertebralis hydrops praecavendus.

4. Convalescentia caute dirigenda.

Ad primam curae indicationem explendam, debent incipiente meningitide laborantia, vel ingressum ejus indicantibus solummodo symptomatibus afflicta individua locis, in quibus influxus nocentes, uti calor excedens, frigus nimium etc. agunt, auferri, vel a morbis aliis caeterisque a nobis in aetiologia jam explicatis, eam ciere minantibus conditionibus liberari, et spatiis, in quae stimulis sensibilitatem nimis exaltantibus, uti sunt: lux, aestus, strepitus etc., non conceditur aditus, collocari; nec non tam pro vitae huic statui congruo genere, quam pro dulci et humano e parte aegro assistentium tractamine cura geratur oportet.

Si autem praedictis praecautionibus meningum phlogosi via occludi nequeat, postquam aegrotus

furibundus fasciis, si id plurium custodum defectus jubeat, sed ne major quiescendi utilitate imprimatur vexatio, praetectis veste aut lana, quibus vincula imponuntur, locis, domatus fuerit, apparatus antiphlogisticus externe interneque et quidem tam, propter quam hic morbus in suos deleterios praecipitatur exitus rapiditatem summam, quam quae hae circumdant, membranae, viscerum altam nobilitatem et gravissimum in minimo temporis spatio timendum periculum generosissimus adoperandus est. Hinc sanguinis evacuationes universales largissima instituendae sunt manu, et in illarum applicatione, illa practica prae oculis habeatur oportet lex, quae venam illam, in quam partis affectae vasorum maximus evacuatur numerus, secandum esse praescribit; in casu praesenti ergo vena secetur jugularis. Nos quoque tam de felicissimo hujus operationis resultato, quam de periculi, quo eam conjunctam esse multi practicorum sine ratione contendunt, vanitate, autopsia persuasi sumus. Arteriae vero frontalis a multis medicorum in hoc morbo tam decantatam aperturam, partim quod per hanc sanguis e meningibus directe non detrahatur, partim propter, qua sanguis sistendus est, ad caput majorem pressionem, qua fit, ut sanguinis ad partem affectam adaugeatur fluxus, penitus dissuadendam esse censemus. Si in meningitide cerebrali sanguinis evacuationem per venam jugula-

rem commendaverimus, ex eadem causa in meningitide spinali venae cephalicae suademus sectionem. Praeter usque ad manifestam functionum mentalium morbose exaltatarum depressionem repetendas phlebotomias ad colli regionem, post aures, ad nariumque praecipue cavitates, nec non si depressae haemorrhoides cum inflammatione in aetiologico stent nexu, (Vide aetiologiam et exitus meningitidis) ad anum hirudinum, cucurbitarum, et scarificationum applicatio summum producit emolumentum.

Observatum est, quo sanguinis major quantitas inter minus temporis spatium evacuata fuerit, eo meliores successus obtentos fuisse, intelligitur tamen quantitatem sanguinis emittendi, si optatus desideretur effectus, secundum morbi gradum et aegroti vires, esse dirigendam.

Praedictae sanguinis emissiones cum pediluviis calidis vel simplicibus vel acido hydrochlorico, sinape, potassa, sale et aliis efficacibus particulis impraegnatis materiis optime combinantur. A nonnullis synapismi atque vesicantia ad pedes et nuchae regionem cum utilitate applicantur, et quia illorum actio diutius durat, majori, quam pediluvia agunt efficacitate, sed in individuis magis irritabilibus, et plethoricis saepius nocent quam juvant, hinc sub hoc rerum statu evitari debent Glaciei atque fomentorum frigidorum cum nitro, sale ammoniaco et aceto remixtorum ad caput

applicatio continua indispensabilis est, mercuriales tandem usque ad salivationem, inunctiones jure a tot excellentibus practicis ad sidera usqua elatae esse videntur.

Omnibus interne propinatis medicamentis Calomel palmam rapuit; si organa digestionis irritata non sint, hoc medicamentum in Tubi gastroentarici membrana mucosa salutarem revulsionem producit. Purgantia salina, oleum Ricini, prunorum nigrorum syrupus, Tartarus emeticus in dosi refracta, et his similia aequali agunt modo, sed an eadem quoque efficacitate jure dubitatur; hinc illis Calomel semper praeferendus est.

Quando digestionis organa irritata aut inflammata inveniuntur, potus emollientes, attenuantes et solventes cum sanguinis gastro-enterici depletionibus et diaeta durissima ordinari dabent; illis vero sanis, juscula e pullorum, aliorumque juniorum animalium carne parata concedenda sunt, nimis saeviente tamen inflammatione etiam sub hoc rerum statu omnium ciborum abstinentia indicata est. Administratio praeparatorum opii semper nocens; moschi et aetherum autem minimae efficacitatis observata fuit.

Tractamen meningitidis cerebralis chronicae iisdem, quibus meningitidis acutae fulcitur cura, principiis fundatur. Locales tamen sanguinis emissionas sanguisugis vel cucurbitulis post au-

res ad collum, ad narices positis adoperandae generalibus sanguinis evacuationibus semper praeferri debent, praecipue si proles curandae veniant, et cum medicamentis revolventibus combinentur oportet: ad eorum catervam vero vasicantia volatilia, setaceum ad regionem nuchae, moxa temperata secundum Doctoris Regnault methodum ad caput, et cucurbitae siccae vel sanguineae post aures adplicandae, spectant. Interne ordinantur purgantia refrigerantia, inter quae Calomel praecipuum.

In minante hydrocephalo, qui per gravem annunciatur somnolentiam, media diuretica et inunctiones mercuriales laudantur.

Meningitis spinalis universalibus et localibus sanguinis emissionibus quoque curatur, secundum in tractamine meningitidis cerebralis exposita principia. Hirudines magno numero ad ambo columnae vertebralis latera applicantur, praeterea balnea frigida universalia et topica instituuntur, vesicantia, et si inflammatio in chronicum inclinet cursum, cauteria et moxa administrantur; interne vero potus emollientes et purgantes cum diaeta valde strenua propinantur.

Fugato morbo in potubus subacidis, medicamentis lenientibus, evacuantibus, refrigerantibus et diureticis, praecipue, si nimis in somnum inclinent aegri, continuandum, et paulatim ad amaricantia, praeprimis sub digestionis officinae de-

bilitate, transeundum. Cibi pauci, laeves, facile digerendi et antiphlogistici cum potu reficiente, subacido, frigidusculoque ordinentur, et omnia, quae sanguinis circulum accelerare valent, evitentur; nam experientia edocti sumus, aegros sub minimo quoque causarum impulsu, recidivis indolis pejoris saepissime succumbere.

THESES DEFENDENDÆ

I.

Pulsus fallacissimum signum diagnosticum.

II.

Phthisis pulmonalis ad morbos incurabiles non pertinet.

III.

Specifica non dantur medicamenta.

IV.

Secundum clima, et medendi methodus variat oportet.

V.

Vermes intestinales plurium, morborum, quam huc usque creditur, sistunt scaturiginem.

VI.

Aqua frigida, secundum artis medicae sana principia adhibita, in plurimis morbis efficacissimum medicamentum.

VII.

Argumenta a priori in medicina nihil demonstrant.

VIII.

Ratiocinationes in medicina tantum ad experimenta conducere debent.

IX.

Pneumonia dosibus magnis Tartari Emetici quandoque bene curatur.

X.

Musices in morbis nervosis salutifera vis non spernenda.

XI.

Oleum Euphorbiae, oleo seminum Croton tiglii, semper praeferendum.

XII.

Timor ad morbos non tantum praedisponit, sed saepius ad illos producendos sufficit.

XIII.

Potassa et Soda, propter earum nimis irritantem vim, in toxicatione per acida concentrata inducta a magno medicorum numero ad summum aegrorum damnum magnesiae substituuntur.

XIV.

Remedia sic dicta prophylactica semper damno sunt; hinc rejicienda.

